



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

35 Iudaei Christi nomen invocare prohibentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cedere, aut illis interesse, etiam vocati, & rogati. Nam medici Hebræi alijque infideles, id præstare prohibentur: si quis autem Christianus, quomodolibet exemptus, ac cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existens, in contrarium facere ausus fuerit, sacramenta ecclesiastica nullatenus sunt ei ministranda, nec etiam à regularibus exemptis, & sic decedens ecclesiastica carere debet sepultura, ut in *Constit. Gregor. XII. 71. in Bull. Roman. pag. 1303.* Ipsi etiam Iudæi transgressores pœnis sunt plectendi, ut in eadem constituitur circa fin. At nescio, quo modo satis tunc committant se, aut suos, dum ægri decumbant, Christianorum nonnulli perfidis Iudæis, qui Christiano nomini hostes sunt accerrimi. Nam, si Christum sunt persecuti, & nos persequentur.

Vnde † mortem profectò appetit, qui à Iudæo sanitatem quærit, *cap. qui sine, 27. quest. 2.* & qui se Iudæo committit, vitæ renunciat, *l. Princeps, C. de princ. agen. in reb. ut tenet etiam Rip. in tractat. de pest. num. 52. 53. & 54.* Vbi etiam acriter Christianos reprehendit, qui in suis morbis ad Iudæos medicos confugiunt.

Nam † bonus, & Christianus medicus ægrum monet, & hortatur ad implorandum Christi auxilium, & ad confessionem, & pœnitentiam, *cap. cum infirmitas, de pœn. & remiss.* imò adhæc medicus quisque Christianus tenetur sub gravibus pœnis, ut in *constit. Pij papa V. incipiens supra gregem.*

At, † quomodo hæc docebit Iudæus, qui Christo est inimicus, & qui prohibet Christi nomen invocare, ut per

Barr. in *proem. ff. num. 2.* quem citat, & sequitur Rip. *ibidem eodem num. 59.* non idè mirum, si plerumque sit, ut hujusmodi languentibus non detur convalescere, utpotè, qui verum medicum fugiant, Rip. *ibid.*

36 Committens † autem Iudæo officium, monitione præmissa per provincialis concilium compesci debet. Iudæo verò officialij, tam diu Christianorum communitio in commercijs, & alijs est deneganda, donec in usum pauperum Christianorum, secundum providentiam diocesani Episcopi convertatur: quidquid à Christianis fuerit adeptus occasione officij sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit, ut eo. *cap. cum sit nimis, §. si quis autem, & ibi Abb. in princ. & Sylv. dist. n. 7.*

37 Eadem etiam ratione † neque hæreticis, calvinisticis, Hugonoticis, alijsque personis, quibuscumque nominibus nuncupentur, & cujuscumque fiat sectæ, ab Ecclesia Catholica, & Apostolica Romana damnata de quibus in *auth. Gazaros, in l. Arriani C. de hæret. & manich. & cap. penult. 24, quest. 3,* publica officia super Christianos committi debent, quia † hujusmodi nequissimi norum hominum genus crudelius, quàm Iudæi ipsi Christianos infestant, & audentius Christi fidem conantur evertere, & ob eam causam, sunt etiam ipsis Iudæis deteriores; quòd minus peccet, qui viam Domini non agnoscit, quàm qui post agnitam retrocedit, *cap. quidam de Apostat. cap. si resugientes, de pœnit. dist. 4, Rip. in dicto tract. de pest. de remed. ad curan. pest. num. 58.* Quare cum eadem ratio in hujusmodi nefarijs hominibus, quæ in Iudæis militet, & gravior